



You have downloaded a document from  
**RE-BUS**  
repository of the University of Silesia in Katowice

**Title:** De flaminibus Dialibus tempore liberae rei publicae captis observationes aliquot

**Author:** Damian Pierzak

**Citation style:** Pierzak Damian. (2018). De flaminibus Dialibus tempore liberae rei publicae captis observationes aliquot. W: J. Doroszewska, M. Job, T. Sapota (red.). „Wzory kultury antycznej : reguły zachowania starożytnych Greków i Rzymian” (S. 103-115). Katowice : Wydawnictwo Uniwersytetu Śląskiego.



Uznanie autorstwa - Na tych samych warunkach - Licencja ta pozwala na kopiowanie, zmienianie, rozprowadzanie, przedstawianie i wykonywanie utworu tak długo, jak tylko na utwory zależne będzie udzielana taka sama licencja.



UNIwersytet ŚLĄSKI  
W KATOWICACH



Biblioteka  
Uniwersytetu Śląskiego



Ministerstwo Nauki  
i Szkolnictwa Wyższego

—⊖—Ξ—  
DE FLAMINIBUS DIALIBUS  
TEMPORE LIBERAE REI PUBLICAE CAPTIS  
OBSERVATIONES ALIQUOT

—⊖—Ξ—Ω—

De flaminis Dialis ceterorumque flaminum natura et specie nonnullae dissertationes recentiore aevo scriptae reperiri possunt<sup>1</sup>. Nobis ergo non est opus, ut omittamus spatium non satis ad id perficiendum esse, studio, quod ad omnia, quaecumque rem adtingant, spectet. Quomodo autem Romani tempore liberae rei publicae pro flaminibus Dialibus functi sint adhuc non satis constat. Testimonia ad nostrum tempus servata tres solum huius aetatis viros, C. Valerium

---

1 Vide ante omnia J.H. VANGGAARD: *The Flamen. A Study in the History of Sociology of Roman Religion*. Copenhagen 1988; F.M. SIMÓN: *Flamen Dialis: el sacerdote de Júpiter en la religión romana*. Madrid 1996 [non vidi]. C. Iuli Caesaris flamonium relinquimus, ab aliis nostrae aetatis doctis mulieribus et viris themate hoc satis elaborato. Cf. e.g. L. ROSS TAYLOR: *Caesar's Early Career*. „Classical Philology” 1941, vol. 36 (2), pp. 113—132; M. GELZER: *Caesar. Der Politiker und Staatsmann*. Wiesbaden 1960, pp. 178q; M. LEONE: *Il problema del flaminato di Cesare*. In: *Studi di storia antica offerti dagli allievi a E. Manni*. Roma 1976, pp. 193—212. B. LOU-GILLE: *César: 'flamen dialis destinatus'*. „Revue des Études Anciennes” 1999, vol. 101, pp. 433—459 [non vidi]. Nuperrime hanc materiam Polonice attigit I. KACZOR: *Sakralna symbolika zakazów i nakazów obowiązujących kapłanów rzymskich*. „Studia Classica et Neolatina” 2014, vol. 11, pp. 23—40. Fundationi Hardt (Fondation Hardt pour l'étude de l'Antiquité classique), quae mihi mense Februario a. MMXV stipendium tribuit, sine quo opera quaedam infra laudata ad manum non habuissem, gratias maximas ago.

Flaccum, L. Cornelium Scipionem et L. Cornelium Merulam, cum eo sacerdotio coniungunt, de quibus vix aliquid dici potest, quapropter in animo nobis est primum officium ipsum brevi adumbrare, deinde eorum flaminum, quos supra enumeravimus, vitam et casus exponere<sup>2</sup>.

Non ambigitur, quin flamonium Diale, de quo pauca disserere instituimus, antiquitatis atque religionis plenum, iam nascente re publica exstiterit, siquidem non iis numinibus, quae tempore rei publicae florentis Capitolina vocabantur<sup>3</sup>, sed vetustioribus illis consecratum erat<sup>4</sup>. Qua de causa sacerdotes Iovis, Martis Quirinique etiam multa post saecula caerimoniis priscis curam dabant. Ad eas cognoscendas optimis auctoribus Gellio et Plutarcho uti possumus. Ille in libro decimo qui et quales castus flaminis Dialis fuissent accuratissime scripsit, quamquam ipsius temporibus ea obscura iam et quasi caligine suffusa videri poterant. Haec tamen scripta nobis flamonii rationem investigare studentibus sufficienda sunt. Quam ob rem antequam ad propositam rem venimus, omnia, quae in caerimoniis numerum auctor noster ascribit, infra colligemus. Ubicumque potestas data erit, Plutarchi verba *Quaestionibus Romanis* reperta, *Noctium Atticarum* autem libro decimo respondentia, Graece adiungemus. Omnes castus in quattuor genera divisimus, ut disquisitio nostra planior fieret: primum ea, quae flamini vetita sunt (i); deinde ad cultum atque habitum pertinentia (ii); porro quae domum eius et uxorem attingebant (iii); postremo varia quae cuivis superiorum adtribui non poterant (iv). Ex iis, quos Gellius tradidit, nullos praetermittendos censuimus neque eos quidem, quorum nusquam infra mentio facta erit. Cum enim enumeratio eorum utilis et haud exigua appendix esse videtur, tum non est nobis in animo brevissime rem tractare, sed totam rationem diligenter habere. Ubicumque autem aliquid magni momenti inventum est ad subsequentem disputationem illustrandam, linea subsignavimus.

2 SULLA: *hist.* 2 ap. GELL.: 1.12.16 (*HRR*, p. 195 Peter) de P. Cornelio quodam, „cui primum cognomen Sullae inpositum [sc. est]” id solum testificatur eum flaminem Dialem captum esse.

3 Vide LIV.: 3.17.3 et commentarium ad locum: R.M. OGLIVIE: *A Commentary on Livy, Books 1—5*. Oxford 1965, p. 426; 6.16.2; D.H.: 3.69.1; 4.59.1 etc.

4 Cf. VAR.: *L.* 7.45; CIC.: *Phil.* 2.110; FEST.: 185L; W. PÖTSCHER: *Flamen Dialis*. „Mnemosyne” 1968, vol. 21 (2/3), p. 216, n. 1; J. BAYET: *Histoire politique et psychologique de la religion romaine*. Paris 1973 (2<sup>a</sup> 1969), p. 94; A. BRELICH: *Iuppiter e le Idus*. In: *Ex orbe religionum. Studia Geo Widengren oblata*. Vol. 1. Leiden 1972, p. 303, cit. ap. E. MONTANARI: *Identità culturale e conflitti religiosi nella Roma repubblicana*. Roma 1988, p. 35; C. GOLDBERG: *Priests and Politicians: ‘rex sacrorum’ and ‘flamen Dialis’ in the Middle Republic*. „Phoenix” 2015, vol. 69 (3/4), p. 335, n. 11.

1.3 (= NA. 10.15.3) Equo Dialem flaminem vehi religio est ~ PLUT.: *Mor.* 274c: [...] τοῦ παρὰ Ῥωμαίοις ἱερέως ἴδιόν ἐστι τὸ μήθ' ἵππῳ χρῆσθαι [...]]<sup>5</sup>.

1.4 (= NA. 10.15.4) <item religio est> classem procinctam extra pomerium, id est exercitum armatum, videre; idcirco rarerentur flamen Dialis creatus consul est, cum bella consulibus mandabantur.

1.5 (= NA. 10.15.5) item iurare Dialem fas numquam est ~ PLUT.: *Mor.* 275c: [...] τῷ ἱερεῖ τοῦ Διὸς οὐκ ἔξεστιν ὁμόσαι [...]]<sup>6</sup>.

1.12 (= NA. 10.15.12) Capram et carnem incoctam et hederam et fabam neque tangere Diali mos est neque nominare ~ PLUT.: *Mor.* 289f, 290a,e: [...] καὶ σαρκὸς ὀμῆς ἀπειρήται τῷ ἱερεῖ ψάειν [...] καὶ κυνὸς καὶ αἰγὸς ἐκέλευον ἀπέχεσθαι τὸν ἱερέα, μήθ' ἀπτόμενον μήτ' ὀνομάζοντα [...] οὐδὲ κιττοῦ θιγεῖν ἐφίετο τῷ ἱερεῖ τοῦ Διός, [...]]<sup>7</sup>.

1.13 (= NA. 10.15.13) Propagines e vitibus altius praetentas non succedit ~ PLUT.: *Mor.* 290c: οὐδ' ὀδὸν διελθεῖν [sc. ἐφίετο τῷ ἱερεῖ] ἀναδενδράδος ἄνωθεν διατεταμένης<sup>8</sup>.

1.17sq (= NA. 10.15.17) Sine apice sub divo esse licitum non est; sub tecto uti liceret, non pridem a pontificibus constitutum Masurius Sabinus scripsit et alia quaedam remissa, (18) gratiaque aliquot caerimoniarum facta dicitur

5 Cf. W. PÖTSCHER: *Flamen Dialis...*, pp. 217—219. De Plutarchi locis a nobis laudatis utilia pauca inveniri possunt in recentissima *Quaestionum Romanarum* editione PLUTARCH: *Römische Fragen. Ein virtueller Spaziergang im Herzen des alten Rom.* Hrsg. J. SCHEID. Darmstadt 2012, pp. 144, 172sq.

6 Cf. W. WARDE FOWLER: *Roman Ideas of Deity in the Last Century Before the Christian Era.* London 1914, p. 39; W. PÖTSCHER: *Flamen Dialis...*, p. 219; F. GRAF: *The-saurus Cultus et Rituum Antiquorum* III 6sq, nr. 1, p. 237: „Plut. quaest. rom. 44, 275d — Problem: warum darf der römische Flamen Dialis nicht schwören? Eine denkbare Antwort: «Jeder Eid endet mit einem Fluch». Vide etiam infra (p. 111) ad C. Valerium Flaccum apud Liv.: 31.50.

7 W. PÖTSCHER: *Flamen Dialis...*, p. 220sq; J. BAYET: *Histoire politique et psychologique...*, p. 79; A.W.J. HOLLEMAN: *An Enigmatic Function of the 'Flamen Dialis' (Ovid. Fast., 2.282) and the Augustan Reform.* „Numen” 1973, vol. 20 (3), pp. 222—228 [hic 222sq]; L. VAN DER STOCKT: *No Cause for Alarm: Chthonic Deities in Plutarch.* In: *Gott und die Götter bei Plutarch. Götterbilder — Gottesbilder — Weltbilder.* Hrsg. R. HIRSCH-LUIPOLD. Berlin—New York 2005, pp. 229—249 [in 236]. Flamini Quirinali canem tangere religio videlicet non erat (Ov.: *Fast.* 4.907sq).

8 E.E. BURRIS (*Taboo, Magic, Spirits: A Study of Primitive Elements in Roman Religion.* New York 1931, p. 51) flamini Diali infra propagines vitibus praetentas succedere vetitum esse censet, quia vitis claviculas nodosas esse constat. Cf. 2.9. Aliter W. PÖTSCHER: *Flamen Dialis...*, pp. 224sq, qui coniecturas quasdam solum facit, sed rem ipsam obscuriorem esse admittit. Religio haec et quae praecedit (1.12) ad Vinalia, in honorem Iovis Venerisque celebrata, pertinere potest (E. MONTANARI: *Identità culturale e conflitti religiosi...*, pp. 109, 139).

~ PLUT.: *Mor.* 274c: [...] μήτ' ἀποτίθεισθαι [sc. τοῦ ἱερέως ἴδιόν ἐστι] τὸν πῖλον, ἀφ' οὗ καὶ φλαῖμεν' κέκληται [...]⁹.

1.19 (= NA. 10.15.19) Farinam fermento inbutam adtingere ei fas non est

~ PLUT.: *Mor.* 289e: [...] τῷ ἱερεῖ τοῦ Διός, [...] οὐκ ἐξῆν ἀλεύρου θιγεῖν, οὐδὲ ζύμης [...].

1.24 (= NA. 10.15.24) Locum, in quo bustum est, numquam ingreditur, mortuum numquam attingit; funus tamen exsequi non est religio<sup>10</sup>.

2.6 (= NA. 10.15.6) item anulo uti nisi pervio cassoque fas non est<sup>11</sup>.

2.9 (= NA. 10.15.9) Nodum in apice neque in cinctu neque alia in parte ullum habet<sup>12</sup>.

2.11 (= NA. 10.15.11) Capillum Dialis, nisi qui liber homo est, non detondet.

2.15 (= NA. 10.15.15) Unguium Dialis et capilli segmina subter arborem felicem terra operiuntur<sup>13</sup>.

2.20 (= NA. 10.15.20) Tunica intima nisi in locis tectis non exuit se, ne sub caelo tamquam sub oculis Iovis nudus sit ~ PLUT.: *Mor.* 274d: [...] ὤν [sc. ἃ δηλοῦται πᾶσι διὰ τοῦ ἱερέως] ἔν ἐστι καὶ τὸ ἐν ὑπαίθρῳ μὴ ἀλείφεισθαι.

3.7 (= NA. 10.15.7) Ignem e 'flaminia', id est flaminis Dialis domo, nisi sacrum efferi ius non est.

3.8 (= NA. 10.15.8) Vincitum, si aedes eius introierit, solvi necessum est et vincula per impluvium in tegulas subduci atque inde foras in viam demitti ~ PLUT.: *Mor.* 290c: εἰ δὲ δεσμώτης φθαίη προσελθών, ἐλύετο· τοὺς δὲ δεσμούςς ἐκτὸς οὐ κατὰ θύρας ἀλλ' ὑπὲρ τοῦ στέγους ἀπερρίπτουν.

3.14 (= NA. 10.15.14) Pedes lecti, in quo cubat, luto tenui circumlitos esse oportet<sup>14</sup> et de eo lecto trinoctium continuum non decubat ~ PLUT.: *Mor.* 274c: μήτε πλείονας νύκτας ἀποδημεῖν τριῶν [...] neque in eo lecto cubare alium fas est neque [...] apud eius lecti fulcrum capsulam esse cum strue atque fertio oportet.

9 Cf. D.H.: 2.64; SERV.: A. 1.305, 2.683.

10 Cf. SERV.: A. 2.86; E.E. BURRIS: *Taboo, Magic, Spirits...*, p. 43; W. PÖTSCHER: *Flamen Dialis...*, p. 221; J. BAYET: *Histoire politique et psychologique...*, p. 71; I. KACZOR: *Sakralna symbolika zakazów i nakazów...*, p. 32.

11 Cf. OV.: *Fast.* 4.657sq cum nota P. Ovidius Naso. *Die Fasten.* Hrsg. F. BÖMER. Bd. 2. Heidelberg 1958, ad 3.257 (p. 159) et infra (p. 111) de L. Cornelio Scipione.

12 Cf. FEST.: 198L; E.E. BURRIS: *Taboo, Magic, Spirits...*, p. 51. Has duas religiones (i.e. 2.6 et 2.9) et de sequentibus unam (3.8) M. ELIADE: *Obrazy i symbole. Szkice o symbolice magiczno-religijnej.* Polonice verterunt M. et P. RODAKOWIE. Warszawa 2009, p. 126, priscis ritibus, quae, dum magni discriminis res geruntur, vinculis nodisque quibuscumque uti vetabant, ascribit.

13 Cf. F. MARCATILI: *Thesaurus Cultus et Rituum Antiquorum* IV 1a, p. 183. De capillis et unguibus W. PÖTSCHER: *Flamen Dialis...*, pp. 221—224.

14 Cf. J.G. FRAZER: *The Bedstead of the Flamen Dialis.* „Classical Quarterly” 1888, vol. 2 (10), p. 322; W. PÖTSCHER: *Flamen Dialis...*, pp. 227—234.

3.22 (= NA. 10.15.22) Uxorem si amisit, flamonio decedit ~ PLUT.: *Mor.* 276d: [...] ὁ ἱερεὺς τοῦ Διὸς ἀποθανούσης αὐτῶ τῆς γυναικὸς ἀπετίθειτο τὴν ἀρχήν, [...].

3.23 (= NA. 10.15.23) Matrimonium flaminis nisi morte dirimi ius non est ~ PLUT.: *Mor.* 276e: ὄθεν οὐδ' ἀποπέμψασθαι [sc. τὴν γυναικίκα] πρότερον ἔξῃν, οὐδὲ νῦν ὡς ἔοικεν ἔξεστιν, ἀλλ' ἐφ' ἡμῶν ἐπέτρεψεν ἐντευχθεὶς Δομετιανός<sup>15</sup>.

4.10 (= NA. 10.15.10) Si quis ad verberandum ducatur, si ad pedes eius supplex procubuerit, eo die verberari piaculum est ~ PLUT.: *Mor.* 290c: ὁ δὲ προσπεσὼν τοῖς γόνασι [sc. τοῦ ἱερέως] τὴν ἡμέραν ἐκείνην ἄδειαν εἶχε πληγῶν καὶ κολάσεως.

4.16 (= NA. 10.15.16) Dialis cotidie feriatu est<sup>16</sup>.

4.21 (= NA. 10.15.21) super flaminem Dialem in convivio, nisi rex sacrificulus, haut quisquam alius accumbit<sup>17</sup>.

Flamonium Diale apud Romanos nonnihil ponderis habebat neque patrii hoc officio praediti ullo honore in Urbe carebant (cf. 4.10, 4.21)<sup>18</sup>. Nemo dubitet, quin caerimoniae, quae „terrestri”, ut ita dicamus, „legato” maximi de tribus illis numinibus vetustis observandae erant, etiam post hominum memoriam tam rudes ac talibus superstitionibus imbutae fuerint, ut eas ad „magicae artis saeculum”, quod vocetur, auctor *Rami Aurei* adscripsisset. Secundum eiusdem denominandi modum, qui recenti aevo non nulla celebritate fruitur, vel „nefanda” ea appellare possimus<sup>19</sup>. Consentendum etiam est cum

15 Cf. S.R.F. PRICE: *The place of religion: Rome in the early Empire*. In: *The Cambridge Ancient History*. Vol. 10. Eds. A.K. BOWMAN et al., pp. 812—847 [in p. 828 cum n. 76].

16 Cf. FEST.: 249L: „†Praeciamitatores† dicuntur, qui flaminibus Diali, Quirinali, Martiali, antecedent<es> exclamant feriis publicis, ut homines abstineant se opere, quia his opus facientem videre religiosum est”.

17 Cf. FEST.: 125L: „Ordo sacerdotum aestimatur deorum <ordine, ut deus> maximus quisque. Maximus videtur Rex, dein Dialis, post hunc Martialis, quarto loco Quirinalis, quinto pontifex maximus”. Hanc religionem W. PÖTSCHER: *Flamen Dialis...*, p. 224, proximam ei, quae ad ignem pertinet (3.7 [= NA. 10.15.7]), intellegi vult. Plura de his caerimoniis, alii alias omittentes, scripserunt e.g. G. WISSOWA: *Religion und Kultus der Römer*. München 1902, pp. 435sq; C. BAILEY: *Phases in the Religion of Ancient Rome*. London 1932, pp. 26—29; J.H. VANGGAARD: *The Flamen...*, pp. 88—101 et passim; I. KACZOR: *Sakralna symbolika zakazów i nakazów...*, pp. 30—38.

18 Cf. LIV.: 1.20.2 cum nota R.M. OGILVIE: *A Commentary on Livy...*, ad loc. (p. 97). C. GOLDBERG: *Priests and Politicians...*, passim.

19 Cf. J.G. FRAZER: *The Golden Bough. The Magic Art and the Evolution of Kings*. Vol. 2. New York 1966 (²1911), p. 247; S. FREUD: *Totem und Tabu. Einige Übereinstimmungen im Seelenleben der Wilden und der Neurotiker*. In: IDEM: *Gesammelte Schriften*.

opinionem nostrae aetatis virorum doctorum, qui censent permultos gravissimosque castus flaminis Dialis natos esse, cum homines eum qui colitur ab eo qui colitur plane distinguere nequissent. Quia Iuppiter caelum repraesentare visus est, eius terrestris legatus ordini caelesti parere debuit (e.g. 1.24, 2.20). Romani illi prisci eum homines cum deo coniungere putabant<sup>20</sup>. Quam coniunctionem si castibus neglectis dissolvisset, totus populus Romanus ad dei invidiam expositus esset<sup>21</sup>.

Sequitur ergo, ut homini hoc sacerdotium adepto — illi ἐμψύχῳ καὶ ἱερῶ ἀγάλματι — multis religionibus vinco et constricto, honores magna ex parte in speciem modo verae dignitatis tributi essent<sup>22</sup>. Nos autem inquirere studebimus, an aliquid certum de castibus a flaminibus Dialibus tempore liberae rei publicae observandis dici possit. Operae pretium quoque videtur, ut flamonii abolitionis his temporibus conspicuae causam cognoscamus.

Talibus rebus investigandis maxime obest, quod priscis testimoniis, quae vel aetati Ciceronianae adscribi possint, caremus. Cum religionum enumerationem, quae superest, Aulo Gellio soli et partim Plutarcho debemus (vide supra), qui, ut verisimile est, Fabium Pictorem — librorum *De iure pontificio* auctorem — secuti sunt<sup>23</sup>, tum re vera flamonium Diale ab anno septimo et octogesimo, cum L. Cornelius Merula se ipse interemit, usque ad annum ca. undecimum a. Ch. natum, quo ab Augusto restitutum est, sacerdote proprio

---

Bd. 10. Leipzig—Wien—Zürich 1924, qui eum secutus est; E.E. BURRIS: *Taboo, Magic, Spirits...*, passim; C. BAILEY: *Phases in the Religion...*, p. 27; F. STEINER: *Taboo*. Harmondsworth 1967, passim et *Selected Letters of Sir J.G. Frazer*. Ed. R. ACKERMAN. Oxford—New York 2005, pp. 6sq. Vide etiam J.G. FRAZER: *The Bedstead of the Flamen Dialis...*

20 Cf. PLUT.: *Mor.* 290c: εἰκὸς μὲν οὖν ἐστὶ καὶ τὸν ἱερέα τοῦ Διὸς ὡς περ ἔμψυχον καὶ ἱερὸν ἀγάλμα καὶ καταφύξιμον ἀνεῖσθαι τοῖς δεομένοις καὶ ἱκετεύουσι, [...]; J.G. FRAZER: *The Golden Bough...* Vol. 2, p. 192 cum n. 1; G. DUMÉZIL: *La religion romaine archaïque*. Avec un appendice sur la religion des Étrusques. Paris 1974, p. 572; E. MONTANARI: *Identità culturale e conflitti religiosi...*, pp. 27, 139; I. KACZOR: *Sakralna symbolika zakazów i nakazów...*, pp. 31sq, 35sq.

21 Vide K. LATTE: *Römische Religionsgeschichte*. München 1960, pp. 402sq; G. DUMÉZIL: *La religion romaine archaïque...*, pp. 567—573. Cf. J.H. VANGGAARD: *The Flamen...*, pp. 90sq.

22 Cf. PLUT.: *Mor.* 291b: [...] ἀλλὰ ῥαβδούχῳ τε χρωῶνται καὶ δίφρον ἡγεμονικὸν ἐπὶ τιμῇ καὶ παραμυσίᾳ τοῦ μὴ ἄρχειν ἔχουσι; J. SCHEID: *Religion et piété à Rome*. Paris 1985, pp. 39sq.

23 Vide G.W. BOTSFORD: *The Roman Assemblies. From Their Origin to the End of the Republic*. New York 1968 (1909), p. 203, n. 7; F. WIEACKER: *Die XII Tafeln in ihrem Jahrhundert*. In: *Les origines de la république romaine*. Éd. O. REVERDIN. Vandœuvres—Genève 1999 (1967), pp. 293—356 [in p. 325]; I. LEWANDOWSKI: *Historiografia rzymska*. Poznań 2007, p. 33.

vacabat<sup>24</sup>. Certe enim hae cultus antiqui reliquiae, ut paulo liberalius quam eiusmodi studiis par est verbis exprimamus, numquam M. Tulli invectivam aut quasi inrisionem fugissent, si quis ex eius familiaribus tali officio functus esset.

Primum animadvertendum est nonnulla nefanda flamonium Diale constringentia civibus honores adpetentibus magno impedimento fuisse. Nam imperium et administratio provinciarum multum apud Romanos valuerunt<sup>25</sup>. Errat tamen Plutarchus apud quem legimus his sacerdotibus magistratum inire omnino non licuisse (291b: [...] τοῖς ἱερεῦσι τούτοις ἀρχὴν οὐκ ἐφεῖτο λαβεῖν οὐδὲ μετελθεῖν, [...])<sup>26</sup>. Constat enim, si unum exemplum proferre sufficit, in Cornelii Cinnae locum consullem suffectum L. Cornelium Merulam<sup>27</sup> electum esse, qui ultimus flamonium Diale tempore rei publicae aptus inauguratusque sit. Auctor *Quaestionum Romanarum* videlicet regem sacrorum mente tenebat. Inter eos castus autem, qui cursum honorum impediabant, adnumerandi sunt praecipue duo: religionem esse ei classem procinctam extra pomerium videre (1.4) et non oportere eum de lecto suo plus quam trinoctium continuum

24 Non satis constat inter viros doctos, quem annum Tac.: *Ann.* 3.58 mente tenuerit. C. GOLDBERG: *Priests and Politicians...*, p. 338 eum duodecimum esse vult, A.W.J. HOLLEMAN: *An Enigmatic Function of the 'Flamen Dialis'...*, p. 223 duodecimum aut undecimum et E. MONTANARI: *Identità culturale e conflitti religiosi...*, p. 144 vel tertium decimum aut decimum a. Ch. n. cf. D.C.: 54.36.1; J. BAYET: *Histoire politique et psychologique...*, p. 164.

25 Vide G. WISSOWA: *Religion und Kultus...*, p. 434; G.W. BOTSFORD: *The Roman Assemblies...*, loc. cit.; L. ROSS TAYLOR: *Caesar's Early Career...*, pp. 113sq; G. DUMÉZIL: *La religion romaine archaïque...*, p. 570; J.H. VANGGAARD: *The Flamen...*, pp. 59—67; W.J. TATUM: *The Epitaph of Publius Scipio Reconsidered.* „Classical Quarterly” 1988, vol. 38 (1), pp. 253—258; M. JACZYŃSKA: *Religie świata rzymskiego.* Warszawa 1990, pp. 30, 48; M. BEARD et al.: *Religions of Rome. Vol. 1: A History.* Cambridge 1996, pp. 28, 106. IDEM (p. 106) addunt ei iurare, id quod plerumque magistratibus faciendum esset, non licuisse (cf. 1.5). C. GOLDBERG: *Priests and Politicians...*, pp. 335sq. Vide etiam Liv.: 31.50 et infra (p. 111) de C. Valerii Flacci aedilitate.

26 Vide *Plutarch. Römische Fragen...*, ad loc., p. 174: „Außer dem Rex sacrorum war es eigentlich jedem Priester erlaubt, eine Magistratur auszuüben”. Cf. de „his sacerdotibus” J.H. VANGGAARD: *The Flamen...*, p. 59.

27 Cf. V. MAX.: 9.12.5 (et vide infra (p. 113, n. 39) omnem hunc locum laudatum); APP.: BC 1.65, etc.; F. MÜNZER. In: RE IV, 1 (1900), col. 1408; T.R.S. BROUGHTON: *The Magistrates of the Roman Republic.* Vol. 2. New York 1952, pp. 47, 52; G.J. SZEMLER: *The Priests of the Roman Republic. A Study of Interactions Between Priesthoods and Magistracies.* Bruxelles 1972, nr. 10, p. 171; T. ALEKSANDROWICZ: *Kultura intelektualna rzymskich konsulów w schyłkowym okresie Republiki.* Katowice 2002, p. 108; J. RÜPKE, A. GLOCK: *Fasti sacerdotum. Die Mitglieder der Priesterschaften und das sakrale Funktionspersonal römischer, griechischer, orientalischer und jüdisch-christlicher Kulte in der Stadt Rom von 300 v. Chr. bis 499 n. Chr. T. 2: Biographien.* München 2005, p. 918.



decubare (3.14). Recte ergo addit Gellius (10.15.4 = 1.4 supra): „Idcirco rarer flamen Dialis creatus consul est, cum bella consulibus mandabantur”.

Tacitus (*Ann.* 3.58, 3.71) tradidit Tiberio regnante (a. D. altero et vicesimo) flaminem Dialelem quendam nomine Servium Maluginensem frustra imperium proconsulare Asiae provinciae appetivisse<sup>28</sup>. Ei Caesarem respondisse provinciarum administrationem Dialibus non concedi. Sequenti libro (4.16) de morte huius sacerdotis comperimus, cuius in locum haud facile quemquam eligi erat. Flamonium id enim patriciis solum confarreatis parentibus genitis, ut Tacitus admonet, apisci licuit. Tum etiam nonnullas caerimonias ad flaminicam pertinentes remitti decretum est, “sicut Augustus quaedam ex horrida illa antiquitate ad praesentem usum flexisset (ibidem)”<sup>29</sup>. Octavianiani leges hoc de sacerdotio latae quae et quales essent adhuc incertum est, sed causam ullam cur eas alias ac quarum Masurius Sabinus (1.17sq) recordatus sit iudicemus non video. Iuris consulto, qui Tiberio principe floruit, quid enim verba „non pridem a pontificibus constitutum” significaverint nisi legislationem illam Principatus, sit venia verbo, architecti et machinatoris? Itaque usque ad tempus restitutionis Augustanae caerimonias flaminis Dialis horrida illa antiquitate, de qua Gellius Plutarchusque testificantur, imbutas esse statuamus.

Cum Iovis „legati terrestres” cuiusdam aetate mediae rei publicae (a. nono et ducesimo a. Ch. n.) inaugurati — C. Valerii Flacci (pr. a. tertio et octogesimo et centesimo = 571 a.U.c.)<sup>30</sup> — vitam inspicimus, quidnam Romani de flamonio nostro censuerint, facile cognoscere possumus. Flamen captus est sec. Livium (27.8.4sq) *invitus* a pontifice maximo P. Licinio Crasso. Sacerdotium

28 Cf. Tacitus. *Annalen*. Bd. 1: *Buch 1—3*. Hrsg. E. KOESTERMANN. Heidelberg 1963, ad loc., p. 531. Fortasse non est nobis repudiandum respuendumque Tacitum aliqua ex parte Livii narrationem respexisse. Nam ex historiis *Ab urbe condita* (41.14.5; 41.15.10; 41.27.2) discimus M. Cornelium Scipionem Maluginensem (T.R.S. BROUGHTON: *MRR*. Vol. 1. New York 1951, p. 400) quendam Hispaniam ulteriorem provinciam sortitum sacrificiis se impedire sollempnibus excusasse. Qua de causa M. Porcius Cato ille Censorius eum vituperavisse videtur (cf. *FEST.*: 286L = *CATO: orat.* 204 [²*ORF*, p. 83]). Huic autem Maluginensi, cuius supra mentionem fecimus, ille exemplum *ex minore ad maius* idoneum esse potuit.

29 Cf. S.R.F. PRICE: *The place of religion...*, loc. cit.; G. SCHÖRNER: *Thesaurus Cultus et Rituum Antiquorum* V 4c, p. 63; A.W.J. HOLLEMAN: *An Enigmatic Function of the ‘Flamen Dialis’...*, pp. 223, 226; I. KACZOR: *Sakralna symbolika zakazów i nakazów...*, pp. 34sq (cum n. 51).

30 Vide LIV.: 39.45.4 etc.; M. DEISSMANN-MERTEN. In: *KP* 5 (1964), col. 1002; T.R.S. BROUGHTON: *MRR*. Vol. 1..., pp. 289, 379; G.J. SZEMLER: *The Priests of the Roman Republic...*, nr. 1, pp. 166sq; T. COREY BRENNAN: *The Praetorship in the Roman Republic*. Vol. 1. New York 2000, p. 108; J. RÜPKE, A. GLOCK: *Fasti sacerdotum...*, p. 1347.

hoc poenae instar ab eius patriciis familiaribus conceptum et quasi coactum esse ut a vitiiis se averteret ferebatur. Nam olim luxuria exemplum fuit, postea autem „modestiae et sanctitatis specimen” (V. MAX.: 6.9.3). Non est omnino excludendum Valerios Flaccos, quos supra diximus, propterea non aliter de Cai vitae cursu instituisse, quod ii, qui flamines Diales creati erant, vino abuti varentur (PLUT.: *Mor.* 290sq)<sup>31</sup>. Faciamus ne obliviscamur eos etiam sub caelo nudos esse vetitos (2.20), quam ob religionem balneas illas luxuriosas, nisi in locis tectis adhibitae essent, arcere debuerant.

Tradit porro historicus noster Patavianus (31.50.9) eum aedilitatem, cum flamine Diali iurare fas non esset (1.5, cf. supra, n. 25), nactum esse. Senatum decrevisse causam eius apud plebem actam iri, si quem invenisset, qui pro eo iuraret. Eum fratrem suum praetorem designatum attulisse et eo modo quid sibi proposuisset adeptum<sup>32</sup>. Casus eius docet re publica iam florente non omnes caerimonias sacerdoti illi iure divino adscriptas inevitabiles fuisse.

Unius saltem exemplum hominis, qui caerimonias observasse videtur, afferri potest. Si enim ap. LIV.: 41.28.7 pro *Cnaeo* Cornelio *Lucium* Carolo Goldbergio nuper adhortante<sup>33</sup> legimus, de flamine Diali gentis illius Corneliorum Scipionum a. centesimo septuagesimo quarto a.Ch.n. (= 580 a.U.c.)<sup>34</sup> inaugurato haec licet accipiamus: propinqui eius, quia videbant hominem parum ad rem publicam administrandam idoneum, persuaserunt illi ut peteret flamonium, quod ante frater eius aut fratris filius tenuerat<sup>35</sup>. Quae cum ita essent, conicere possumus non a familiaribus anulum e manu eius detractum esse (sic V. MAX.: 3.5.1) sed ipsum hoc fecisse religione (2.6 [= NA. 10.15.6]) servata.

31 Cf. J.H.W.G. LIEBESCHUETZ: *Continuity and Change in Roman Religion*. Oxford 2007 (1979), p. 91; W.J. TATUM: *The Epitaph of Publius Scipio...*, p. 256, n. 22. Contra W. PÖTSCHER: *Flamen Dialis...*, p. 225: „Kaum akzeptabel erscheint die Erklärung Plutarchs [...], da kein Verbot, Wein zu trinken oder auch in grösseren Mengen zu trinken, bestand”.

32 Cf. J.H. VANGGAARD: *The Flamen...*, pp. 60, 63, 67. C. GOLDBERG: *Priests and Politicians...*, pp. 337sq (cum n. 20).

33 Ibidem, pp. 344—346.

34 „Cn. Cornelius” quidam ap. T.R.S. BROUGHTON: *MRR*. Vol. 1, p. 406 et G.J. SZEMLER: *The Priests of the Roman Republic...*, p. 168 legitur.

35 Vide *CIL* I<sup>2</sup> 2, 10 = *ILS* 4 Dessau = *ILLRP* 311 Degrassi: „Quei apice insigne Dial[is fl] aminis gesistei | [sc. Scipio Publi Corneli] [...]”. Primum versum epitaphii posteriore tempore, forsitan a Scipione Aemiliano, additum esse nunc constat. De hac inscriptione vide e.g. T.R.S. BROUGHTON: *MRR*. Vol. 1, p. 407, n. 6; G.V. SUMNER: *The Orators in Cicero's Brutus. Prosopography and Chronology*. Toronto—Buffalo 1973, p. 36; W.J. TATUM: *The Epitaph of Publius Scipio...*, *passim*, qui hanc flamonii Diali solam mentionem in Corpore Inscriptionum Latinarum factam esse docet.

Ultimus sacerdos, qui rei publicae tempore vixit et flamonium Diale tenuit, L. Cornelius Merula fuit, de quo supra iam mentionem fecimus. Scriptores antiqui vero nihil nisi de morte eius referunt: bello civili, postquam Cornelius Cinna a. septimo et octogesimo urbem relinquere coactus est, consul eum suffecit. Quo facto ad popularium iram expositus, apud C. Marium et Cinnam iudices causam dicturus, vitam suam perdere malebat quam iis, quos hostes rei publicae habebat, oboedire<sup>36</sup>. Appianus (BC 1.74) autem scripsit eum venis incisis apicem exuisse, propterea quod Iovis ministrum tale insigne gerentem mori dedecuisset. Sine dubio quodcumque incitabat eum, ut ita faceret, quodammodo cum religione illa ad apicem pertinenti haerebat (1.17)<sup>37</sup>. Quod etiam verba ipsa ab Appiano (i.e. κόπτων τὰς φλέβας τὸν πῖλον ἀποθοῖτο) et Plutarcho (μήτ' ἀποτίθεισθαι [sc. τοῦ ἱερέως ἰδίον ἔστι] τὸν πῖλον) consimili ratione adhibita confirmare videntur. E supra laudato Masurii Sabini fragmento apud Gellium servato satis constat illis temporibus ei, qui flamonium Diale teneret, apicem semper, cum sub divo tum etiam sub tecto, gerendum fuisse. Forsitan ergo non propria ipsius persona, sed insigne illud modum vitae oppetendae tum inspirabat. Si apicem hereditarium fuisse statuamus, quare prius eum poneret quam vita se ipse privaret sic explicare possimus: flaminem cadaver numquam adtingere fas est (1.24). Sequitur, ut idem ad vestimenta eius pertineret; si insigni igitur illo indutus periisset, successorem suum in nefas contra religionem exposuisset; vel aliter: morte sua instrumentum, quod eum cum deo conectebat, polluisset. Utrumlibet eligamus, apparet Cornelium Merulam aut officium suum diligentissime praestare voluisse aut, id quod multi Romani pridem atque postea saepe fecerunt, suicidium suum in spectaculi speciem populi commovendi causa accommodavisse. Qui usque ad extremam vitam, quam sibi ipse abstulit, castus atque religiones priscae rei publicae temporibus constitutas iure spectarit, certe alios contra

36 Cf. K. LATTE: *Römische Religionsgeschichte...*, p. 276; G.J. SZEMLER: *The Priests of the Roman Republic...*, p. 171; M. JACZYNOWSKA: *Religie świata rzymskiego...*, p. 81. De Merula consule suffecto vide B.R. KATZ: *The Selection of L. Cornelius Merula*. „Rheinisches Museum für Philologie” 1979, Bd. 122 (2), pp. 162—166.

37 Vide J.H. VANGGAARD: *The Flamen...*, p. 42: „According to APPIANUS Merula removed his πῖλος before committing his dramatic suicide in order not to break an important taboo”. Cf. V. MAX.: 1.1.5: *At <Q.> Sulpicio* (G.J. SZEMLER: *The Priests of the Roman Republic...*, nr. 21, p. 70) *inter sacrificandum e capite apex prolapsus idem sacerdotium abstulit* [...]; PLUT.: *Marc.* 5.5: [...] καὶ δύο ἱερεῖς [...] τὰς ἱερωσύνας ἀφηρέθησαν, [...] Κούϊντος δὲ Σουλπίκιος ἐπὶ τῷ θύοντος αὐτοῦ κορυφαῖον ἀπορρυῆναι τῆς κεφαλῆς πῖλον, ὃν οἱ καλούμενοι φλαμῖνοι φοροῦσι; *Appiani Bellorum civilium Liber primus*. Ed. E. GABBA. Firenze 1958, ad loc., p. 202; J. BAYET: *Histoire politique et psychologique...*, p. 100. C. GOLDBERG: *Priests and Politicians...*, p. 338, n. 24.

novas res aptissime concitarit. Non sine causa Velleius Paterculus (2.22.2)<sup>38</sup> ita haec verbis expressit: „Merula autem, qui se sub adventum Cinnae consulari abdicaverat, incisis venis superfusoque altaribus sanguine, quos saepe pro salute rei publicae flamen Dialis precatus erat deos, eos in execrationem Cinnae partiumque eius tum precatus optime de re publica meritum spiritum reddidit”<sup>39</sup>.

Paucis omnino testimoniis de Cornelii Merulae flamonio conservatis haud parvi interest Appianum id praecipue de morte eius tradidisse. Si Q. Sulpicio illi (cf. supra n. 37) sacerdotium ablatum est quia sacrificans apicem perdidit, hic ultimus temporis liberae rei publicae flamen Dialis recte fortiterque fecisse videbatur, quod eum moriens exiit. Certe a hominibus religiosis nostrae aetatis aliquid eiusmodi superstitiosum, a profanis vel absurdum iudicetur, sed mente est nobis tenendum apud antiquos res sacras longe aliter ac hodie esse perceptas. Auctores Romani, qui tempore liberae rei publicae scripserunt, amplissimum praemium bene peractae vitae non animae immortalitatem neque insulas beatorum, sed gloriam habebant, cuius solius ope nomina civium fortissimorum ad posteros pervenire possint. Non multis annis post bellum civile, de quo supra diximus, exempli gratia, Cicero eos ad caelum ascendere demonstrabat, qui bene de re publica meriti extremum halitum efflaverant<sup>40</sup> et gloriam virtute adepti erant. Numquam egebat M. Tullius exemplis virorum, qui „ad non dubiam mortem concurrerunt” (*Tusc.* 1.89). Quae cum ita essent, etiam haec verba Vellei Paterculi de Merula iam pridem citata (i.e. „optime de re publica meritum spiritum reddidit”) sensum similem exprimere poterant. Die supremo ob religionis horridam illiam antiquitatem rapuit occasionem, ut exitum suum tragico quasi colore ornaret. Quam ob rem casus eius nobis quaestionem, utrum caerimoniae priscae tum observarentur, ratione et via solvere non potest. Ut enim optimus quisque vir Romanus illius aetatis,

38 Cf. L. ROSS TAYLOR: *Caesar's Early Career...*, loc. cit.; M. GELZER: *Caesar. Der Politiker und Staatsmann...*, p. 18; M. LEONE: *Il problema del flaminato di Cesare...*, pp. 195, 211.

39 Cf. V. MAX.: 9.12.5: „Qua tempestate rei publicae L. quoque Cornelius Merula consularis et flamen Dialis, ne ludibrio insolentissimis victoribus esset, in Iovis sacratio venis incisis contumeliosae mortis denuntiationem effugit, sacerdotisque sui sanguine vetustissimi foci maduerunt”.

40 Vide e.g. CIC.: *Dom.* 75, *Sest.* 143, *N.D.* 2.62. Cf. *Tusc.* 1.91: „itaque non deterret sapientem mors, quae propter incertos casus cotidie imminet, propter brevitatem vitae numquam potest longe abesse, quo minus in omne tempus rei p. suisque consulat, cum posteritatem ipsam, cuius sensum habiturus non sit, ad se putet pertinere. quare licet etiam mortalem esse animum iudicantem aeterna moliri, non gloriae cupiditate, quam sensurus non sis, sed virtutis, quam necessario gloria, etiamsi tu id non agas, consequatur”.

sic L. Cornelius noster potius optimam sui memoriam posteritati tradere quam religioni cuiquam parere in animo habebat. Nihil tamen certum propter testimoniorum exiguitatem hac de re dici potest.

Nonnullarum religionum observatio eo difficilior erat, quod eae aliis flaminis officiis haut conveniebant. Cui hederam nominare (1.12) propaginesque e vitibus altius praetentas succedere (1.13) non licuit, is vindemiam auspicabatur et vinum legere iubebat (VAR.: L. 6.16). Lupercalibus, ubi canis et capra sacrificabantur, etiam interfuit teste Ovidio (*Fast.* 2.282), cum ab his animalibus ei abstinendum esset (1.12). Varias huius quaestionis interpretationes viri docti proponebant: canem antiquissimis Romae temporibus nondum impurum fuisse; uno solo die toto anni cursu flaminem Dialem a religionibus liberari, etc. Eos quoque invenias, qui hunc versum *Fastorum* delendum putaverunt<sup>41</sup>.

Satis constat gravitatem illam priscam caerimoniarum flamonii Dialis non prius esse minutam ac remissam quam Augustus hoc sacerdotium restituit. Admittere quoque cogimur paucis solum flaminibus notis iisque haud copiose descriptis nihil certi de castibus ab eis tempore rei publicae observandis hic referri posse. C. Valerius Flaccus tamen, qui aetate rei publicae quae media vocatur vixit, quamvis flamini Diali iurare nefas esset, aedilitatem (et postea quoque praeturam) nactus est nova quadam facultate, ut frater suus praetor designatus pro eo iuraret, reperta. Deverticula ergo in caerimoniis observandis interdum inveniri poterant. Nonnullae religiones item variis de causis suspensae videntur, e.g. cum flamen Lupercalibus intererat aut vindemiam auspicabatur. De L. Cornelio Merula forsitan numquam legeremus, nisi tam theatralem suicidii rationem elegeret. Utrum ante mortem apicem exuerit quia eum polluere aut religionem despiciere nollet, aut quia exitum suum ad populum commovendum confingere vellet, incertum manebit. Potuitne vero utrumque ei in animo esse? Negari autem non potest illud sacerdotium cursum honorum, quem Romani omnibus aliis rebus praetulerunt, admodum impediisse, ut Merula mortuo et C. Iulio Caesare in eius locum destinato sed numquam inaugurato nullo deprecante evanesceret dum ab Octaviano, ut non semel iam diximus, post ca. quinque et septuaginta annos restitueretur.

---

41 Vide A. BRELICH: *Appunti sul flamen Dialis*. „Acta Classica Universitatis Scientiarum Debreceniensis” 1972, vol. 8, pp. 17—21, cit. ap. E. MONTANARI: *Identità culturale e conflitti religiosi...*, pp. 35sq; P. OVIDIUS NASO: *Die Fasten...*, ad loc. (p. 103) qui pluras dissertationes laudat.



DAMIAN PIERZAK

## SOME REFLECTIONS ON THE *FLAMEN DIALIS* IN REPUBLICAN ROME

**SUMMARY**—One of the oldest and most curious priesthoods of ancient Rome was the *flamonium Diale*. The minister of Jupiter was bound by a series of religious rules which not only affected his daily life but made it difficult for him to reach the highest political offices. In the late republic this flamate existed only until the death of L. Cornelius Merula, who killed himself in the year 87 in a rather dramatic fashion. Despite the fact that the *flamen Dialis* is almost entirely absent from republican sources, one is able to gather some pieces of information about the nature of the priesthood in question from later authors, above all Aulus Gellius and Plutarch. An assumption can be made that the *flamen* was able to either avoid some of the rules or turn them to his advantage.

**KEY WORDS**—priesthood, *flamen Dialis*, religion, taboo, ancient Rome